5.

Illustri atque Celeberrimae Academiae
Chirurgorum Regiae Parisiensi
salutem atque prosperitatem!

Quum Illustris Chirurgorum Academia Parisina, uti ex relationibus publicis perspexi, ex legato Generosissimi Domini de la Peyronie ad Academiam devoluto, chirurgiae cuidam pro habita electae elaborationi praemium destinaverit: sic et ego, eundem in finem, sequentem observationem practicam huiusque plane inauditam eaque de caussa notatu dignissimam cum Celeberrima Academia communicandam, non abs re esse iudicavi.

Puer XI annorum ad diem I Septembris huius anni cIↃIↃCCLXVII, in mola alata, quae a vento circumagitur, a tympano sive rota molari maiori dentibus instructa fracturam brachii dextri cum enormi vulneratione musculosarum partium coniunctam adeo perpessus erat, ut os ulnae plane et quidem oblique cum multis festucis osseis detrusis fractum esset, os radii autem fissuras quasdam accepisset. Manus

praeterea

ACADEMIE NATIONALE DE MEDECINE BIBLIOTHEQUE

proterea in- et externe tota conquassata et ubique vulnerata, duo phalanges anteriores digiti annularij in totum diffracti erant, ut restans ossea portio cum adpendente cute in iunctura digiti abscindi necesse fuerit. In carpo quoque erat magnum vulnus cum laesione maiorum vasorum sanguiferorum coniunctum. Porro in cubito olecranum plane detritum et iunctura eiusque ligamenta circumcirca vulnerata erant. Huc accedebat maximum illud vulnus, quo musculi brachiales tam interni, quam externi, in eo scilicet loco ubi fractura facta erat, et in iis contenti tendines, arteriae et venae ita lacerati et, quasi cum cultro perscissi, plane disrupti erant, ut, ossibus nimirum a carne denudatis, margines huius vulneris ad trium digitorum latorum hiatum formarent, relicta tantummodo admodum parua portione carnea ad dimidium digitum circiter lata in inferiori parte brachii adhuc illaesa. Iuxta hoc maximum vulnus alia insuper minora vulnera inflicta erant. Summatim decem vulnera, si fracturam et detrusos festucos excipias, sat ampla et omnia omnino sat magno periculo stipata: omnemque diligentiam et unaquaque vice iustam

mundifi-

mundificationem et deligationem ex profcentia puer in hoc brachio acceperat.

Ad hunc puerum a Chirurgo, cujus curae puer statim traditus erat, in consilium et subsidium vocatus, ut nimirum amputationi brachii, quam praedictus Chirurgus maxime et unice necessariam esse arbitrabatur, adsentirem et interessem: ego autem minime amputationem concessi, sed potius auctor suasorque fui, ut statim brachium extenderetur et in ordinem redigeretur et tunc, ad haemorrhagiam sistendam et vulnera purificanda, potius omnes laesiones aceto vini destillato calido eluerentur et linteis eo madefactis tepidis fomentarentur. Deinde ob fracturam cum fascia XVIII capitum et ferulis chartaceis suppositis brachium deligari iussi. Peracta deligatione et propinatis internis medicamentis febri vulnerariae et sphacelo oppositis puer in lectum deportatus et quieti traditus est. Mihi interim hunc gravissimum morbum meditanti, quomodo nimirum brachium et vita sine amputatione confermari, inflammatio autem et sphacelus optime abigi posset, in mentem venit <u>extractum Saturni</u> ab Amplissimo Domino <u>Goulard</u> Christianissimi Regis Consiliario et Supremo Chirurgo Monspeliensi in usum revocatum

in

ACADEMIE NATIONALE DE MEDECINE BIBLIOTHEQUE

et florum Arnicae.
Hac methodo diligentissime observata effectum est, ut nona hebdomade maximum vulnus in medio brachio ad tres digitos latos hians iam coalescere et superne cuticula obduci inciperet; puer autem hebdomade decima iam brachium solus et sponte sua sine adminiculo alterius manus elevare et undecima hebdomade quoque cum manu et digitis aliquid apprehendere et leniter comprimere posset. Nunc puer quotidie plures adhuc motus et labores cum manu hac suscipere nititur sesequae exercet.
Itaque huius pueri brachium fractum et enormiter dilaceratum amputationemque secundum omnes ferme auctores chirurgicos (exceptis tantummodo paucissimis recentioribus amputationem dissuadentibus Chirurgis) indicans, non solum sine amputatione conservatum: sed quoque fractura omniaque vulnera, et, quod probe notandum <u>breviori tempore</u>, quam ulla alia methodo sine multo dolore, sine insigni inflammatione, multo minus sphacelatione solo extracto Saturni et ex et cum eo paratis aqua, cerato et unguento saponaceo

ponaceo ab Illustrissimo Duce de Richelieu inuento
vt et necessarijs internis medicamentis tribus men-
sibus recte sanata, curata et consolidata sunt.
Liquet igitur ex hac curatione *primum*: quod
corporis humani membrum magnum, quinimmo
maximum, licet quoque crudelissime laesum fuerit, in
posterum ad conseruandam vitam *non amplius am-*
putatione indigeat, sed rectius et *tutius* diligenti
et artificiosa manu chirurgica *conseruari pos-*
sit et *debeat*; *deinde*: quod *extractum Saturni*
securissimum et praestantissimum sit remedium
in omnibus istis morbis chirurgicis et laesioni-
bus, praecipue grauissimis contusionibus
et conquassationibus, quae cum magno dolore
et adfluxu humorum coniunctae sunt; quippe
quo remedio etiam vulnera, fracturae, contusi-
ones et omnis generis laesiones externae re-
vera *citius* quam vlla alia medicina ex
vnguentis, balsamis, oleis, spiritibus aut em-
plastris parata *ex fundamento* sanari queant.
Denique quoque hoc experimento confirmatur:
quod

ACADEMIE NATIONALE DE MEDECINE BIBLIOTHEQUE

quod extractum Saturni in osseis aeque ac carnosis
partibus laesis summo cum emolumento et securius
quam pinguia aut spirituosa remedia ad-
hiberi possit.
Quod reliquum est, Vos, Viri Illustres atque
Amplissimi! Maecenates et Fautores
Optimi! in salutem generis humani
optime florere et valere iubeo Vestro-
que favori de meliori me commendo.
Dabam ad diem V Decembris anno
CIƆIƆCCLXVII.

Desperatissima Vulnera Curantur Saturno.